*Frid. Zamell*

# MANIPULUS EPIGRAMMATUM,

quibus cùm amplissimi Poloniæ Regni decus & gloriam, tum Augustissimi Principis ac Regis VLADISLAI IV. clarissimos triumfos ac verè regias virtutes partim ante Svecorum irruptionem, partim ipso induciarum tempore prosecutus est.

*nunc primum editus*

Typis BODENHAVSIANIS
anno M. DC. XXXVII.

*Sereniſsimo & Potentiſsimo Poloniæ ac Sveciæ Regi*

# VLADISLAO IV.

*Domino ſuo clementiſsimo.*

VLADISLAE, Tuum profugus Scytha nomen adorat:
Hoc pronis reſonant Ismara celſa jugis.
Ac quamvis habeas ambitum limite Regnum,
Vix Gothus & Moſchus ſe neget eſſe Tuum.
Præſtamus cultum, quem nec Tuus abnuit hoſtis.
Eſt amor in nobis, ſed colit ille metu.

## Lector salve.

*PLeriq; ex amicis, cùm in exordio Panegyris meæ, quam Augustissimo Poloniæ ac Sveciæ Regi* VLADISLAO IV. *superiore anno inscripseram, ea verba legissent:*

postquam de Te quæ sensimus olim,
Sæpeq; dictavit calamo mens conscia rerum
Te duce gestarum, Gothici sub præside Martis
Edere nemo vetat;

*quænam ac qualia essent illa de tamto Heroe antehac à me condita, per literas interrogabant. Eam rem ubi tacitâ dissimulatione transmiseram, parvâ interjectâ morâ tamtùm non Ad exhibendum jure nostro agebant. Misi nonnulla eorum, quæ de ingenti farragine oppidò pauca supererant: multa n. voluntariâ abdicatione, plurima neglectu, alia inter familiarium manus perierant. Ac tum quicquid istam calamitatem non subiisset, ut in apertum proferrem, monere, instare: etiam addere: parum me egisse jam videri, nisi hæc suâ brevitate tamquam compendio venustatis placitura lucem adspicerent. Religionem deinceps innectebant & vota mea, qui licet his studiis modum imposuissem, dIs tamen deorumq; generi ea consecraverim. Culpam deniq; commissam interpretabantur; quòd iis, quæ hisce temporibus veluti seposita fuissent, neq; exolescente bellorum metu debitam sollicitudinem præstiterim, in quam animo nondum obnoxio incubueram. Quorum etsi consilium autoritatemq; edendo hoc* Epigrammatum *manipulo secutus sum, eo tamen loco penes me ipsum erunt, quem Tu tribues Lector, quisquis nec amore nec odio nostri judicas. Sanè quæ me caussæ in hoc argumentum induxerint, si eas edissererem; si & illud ingenuè à me dictum multorum aures feriret;* In Regibus colendis nihil me aliud spectasse quàm ipsos; *de odio securus præstantium hominum amorem in me facilè transferrem. Verùm id eam in rationem valere nolo, quam ingressus sum: quò apud pronos in favorem animos arti aut ingenio ne assererem, quod totum à benevolentiâ est, ejusq; in commendationem hoc esset, cujus in lubrico est firmitas. Quòd si aliquod operæ pretium me fecisse intellexero, id mihi gratulabor, quòd ex negotio honorem, ex otio laudem invenerim. Dabam anno Virg. part.* M. DC. XXXVII. *Cal. Mart.*

## Scythia à VLADISLAO Principe adita.

*AD Vladislai nihil est res Persica famam.*
*Lydorum potuit vertere Cyrus opes.*
*At malè se Scythico cum successoribus Orbi*
*Credidit: hunc Macedûm fugit adire phalanx.*
*Roma gravis populis Scythicos tamen horruit arcus.*
*It formidato Sarmata noster agro.*

## Cùm in Moschos eorum perfidiâ excitatus moveret.

*QVid sibi promittit sceleratis Moschus ab armis,*
*Dum Vladislai provocat arma Deus?*
*Nec Tu Sarmaticas sistes Smolenscia palmas.*
*Accipies patrium Sarmatis ipsa jugum.*
*Frigora nil oberunt, nihil alta Borysthenis unda.*
*Namq; suam præstant dIs elementa fidem.*

## Cùm Moschorum Regiam cœpisset.

*O quàm vana fuit Moschi persvasio, falli*
*Iuratos nullo vindice posse deos!*
*Perfidiam ulturi Te Vladislae jubebant*
*Ire dii. Vicit Te duce noster eques.*
*Nunc Tu Sarmatiæ patrias puer asseris arces,*
*Nunc pavet ad motus Regia capta Tuos.*

## Cùm primam Vladislaus Princeps expeditionem adversus Turcas faceret.

*DEsinat Herculeos sua tollere fama labores.*
*Vincuntur gestis ausa priora novis.*
*Ille puer geminos manibus compresserit angues;*
*Et solido constet robore Græca fides.*

Sarma-

*Sarmaticus puer est, nec cinctus pelle sed armis,*
*Qui Moschum & tumidos sub pede Thracas habet;*
*Hi, licet Alcidæ jactent cunabula Thebæ,*
*Misêre Ogygios sub sua jura Lares:*
*Argolicas potuit Thrax condere regna per urbes:*
*Hunc tamen Illyrico jußit abire puer.*

## Mars è Rhodope transfuga.

*E Rhodope Martem Thraces fugisse queruntur,*
*Perq; Hæmi colles arma silere dei.*
*Sarmaticos adiit (Thraces mihi credite) campos.*
*Non extra laurus est deus ille suas.*
*Si campos habitat, res non absurda putanda est.*
*Quem Roma huic dederat Martia, campus erat.*

## De Imperio Turcico.

*UT jactat Thrace, tenuit sine limite Regnum,*
*Et metam Regnis hactenus ipsa dedit.*
*Nunc demum Thraces Te Vladislae rogarunt,*
*Finibus ut certis Turcica Regna forent.*

## Ad Vladislaum Pr. cùm unà cum divo Patre Sigismundo anno V. P. M. DC. XXIII. Elbingam intraret.

*PRosper ades cupidis Tua, Vladislae, Borußis*
*Ora videre: fave cum Patre Rege Tuis:*
*Optat amans populus, quamvis mansueta probâris*
*Semper, & affectûs pignora certa Tui.*
*Quam nobis hodie tacitè spectantibus affers,*
*Hæc olim facies sceptra tenentis erit.*

## De divo Sigismundo Pol. R. Elbingam sub noctis tempus ingrediente.

ARmati stamus fessi sub pondere cives,
Drusida dum pulcram Rex Sigemundus adit,
Quò magis accelerat, lux excitat aucta calorem,
Regius hinc splendor, sideris inde jubar.
Substitit, & duplici populum ne perderet æstu,
Decrevit nostros nocte subire Lares.

## Cùm Svecorum classis anno M. DC. XXXIII. ab altissimâ Gedanensium turri spectaretur.

SVecicus insido jactatur in æquore miles,
Cum ratibus tumidi fluctuat unda maris.
Nondum fisa sibi se Svecia deserit ipsam,
Inq; suas silvas, quas mare versat, abit.
Quid proræ insultant? Cùm versis Svecia rostris
Se Gothico claudet margine, tempus erit.

## Cùm eadem irruptionem anno M. DC. XXVI. in Borussiam moliretur.

IMmensæ volitant super æquora Baltica pinus,
Littoraq; infestat missus in arma Gothus.
Quid querar? aut fortes hæc ignorare Polonos,
Aut nos non justo bella pavere metu?
Sunt, qui defendant patriis à portubus hostem.
Quàm vereor, nè sit non satis æqua manus.

## Ad Borussiam, cùm eidem Svecus immineret.

QVid Gothicæ debes dilecta Borussia genti?
A Te quid repetit Svecia jure suum?
Penè Tibi ignotum tellus fuit Arctica nomen.
A Boreâ poteras discere flante locum.
Sed cave, quantumvis Aquiloni obnoxia non sis.
Allegant titulum nunc quoq; bella suum,

## Polonia hostibus circumfusa.

*Hostibus in mediis fundavit Sarmata Regnum:*
*Et si quà terræ est angulus, hostis adest.*
*Prosint Teutonicæ longùm connubia gentis:*
*Infestam pacem Regna Thoantis habent.*
*Hinc Sveci & Moschi insurgunt, Thrax partibus illis,*
*Dum medij proferi sceptra Polonus agri.*

## In Svecicam classem, cùm portum Pillaviæ occupasset.

*Nil juvat infirmam belli meditatio caussam.*
*Insano titulo vis sine lege ruit.*
*Quid Gothici nautæ ratibus consternitis æquor?*
*Iusne solo Nereus Oceanusq; dabunt?*
*Ludibrium Themidos reboat fera machina ponto,*
*Et sub terribili littora classe gemunt.*
*Iam patris implevit nostro sub sidere laudes,*
*Cui summum è vobis Cæsaribusq; genus.*
*Ille ubi res Scythicas patrio submiserit Orbi,*
*Attonitis vobis dicet: abite Gothi.*

## Poloniæ fertilitas.

*Urbibus Ausoniæ Siculum rus horrea præstet,*
*Romaq; Sicanii sumine vivat agri.*
*Sufficit immenso fœcunda Polonia mundo,*
*Trinacriæ populis quod dedit alma Ceres.*
*Impius est, matrem quicumq; lacessit alumnam.*
*Impia Sarmaticis arma minantur agris.*

## Linguæ Latinæ in Poloniâ integritas.

*Quod nondum in cunis voces periêre Latinæ,*
*Præstitit Istuleæ Sarmata potor aquæ.*

*Ausoni-*

*Ausoniam potuêre Gothi corrumpere linguam:*
*Quæ sub Sarmatico jura dat Orbe Gothis.*
*Mille suo quamvis videat sub culmine gentes,*
*Attamen à linguâ nil famulante petit.*

## Poloni in Galliam missi Latinèq; loqentes.

*GAllia cum missis daret hospita tecta Polonis,*
*Audivit Latio quoslibet ore loqui.*
*Miratæ gentes Rhodanumq; Ararimq; bibentes,*
*Quiq; colunt Italo proxima rura solo,*
*Sarmaticas, ajunt, Latium migravit in oras,*
*Sive videt geminas Sol vagus Italias.*

## Cur ferrum in pedibus gestent.

*SI muro Theseus sua Regna coercuit uno,*
*Res erat in fundo non operosa brevi.*
*Non abit in tales spatiosa Polonia metas.*
*Heic aliquis major Palladis urbe locus.*
*Vt patriam sumto defendat Sarmata ferro,*
*Sub soleâ ferrum, quo moneatur, habet.*

## Poloniæ Borussiæq; uber.

*ALma Ceres habitat, quos Sarmata conserit, agros;*
*Pinguia vicinus rura Borussus arat.*
*Delabi cælo si mallet Iupiter alto,*
*Casurum exciperet Prussia nostra deum.*
*Quàm bene sunt junctæ gens utraq; Rege sub uno,*
*In quarum veniunt dIq; deæq; Lares!*

## Ad Satyram Iuvenalis II.

ULtra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem
Oceanum. *In Lappis quid Iuvenalis ages?*

Non

*Non tuleris Borean totâ regione furentem:*
*Horrida damnares rura Latinus homo.*
*Quæ Tua de nivibus cœliq; rigore voluptas?*
*Odisses, quicquid cultor egenus amat.*
*Carmina [illegible]deres, nec carminis autor adesset:*
*Nec, [illegible]a frater abest, Musa juvaret opus.*
*Axe sub hoc illis jucunda silentia desunt,*
*Iamq; Euro sylvæ jamq; Aquilone rigent.*
*Et cujus caneres Vates insanus ad aures,*
*Si quod homo est, totum hoc aspera pellis obit?*
*Cùm fueris, Latij veteres optaveris auras,*
*Subq; umbrâ patrio fonte levare sitim.*
*Si tamen Ausoniâ fugere atq; excedere certum est,*
*Ac per Sarmatiam fert via, siste pedem.*
*Non heic invenies positos in fronte Metellos.*
*Quod Tibi Roma negat, Sarmata noster habet.*
*Interea si quid peccatur in urbe Quirini,*
*Crede nec Arctoo crimen abesse polo.*

## Polonia sibi sufficiens.

*MElla dat & lætas generosa Polonia fruges.*
*Sarmatico victum mundus ab Orbe petit.*
*Sumit Aristæi vinum de munere cultor,*
*Rectaq; Sarmatico de bove cœna datur.*
*Sunt gemmæ, puteiq; salis nitidiq; metalli.*
*Quod summum in forti gente, sibi satis est.*

## Cùm posthabitis Competitorum votis Vladislaus IV. Poloniæ Rex crearetur.

*EXternus sanguis non nati stirpe Polonâ,*
*Non capient vestræ sceptra Polona manus.*

*Ite, atque alterius diademata quærite mundi.*
*Sub merito generis spes peregrina jacet.*
*Qui Regno infestos potuit compescere Moschos,*
*Atque inferre metum Thracibus, hic meruit.*

## De eodem.

*UT Vladislao cognata Polonia Regnum*
*Traderet, à meritis caussa erat una Patris.*
*Nec deerant aliæ: primas fortuna tenebat,*
*Quam Moschi horruerant Ismariique duces.*
*Quod solum poterant alij promittere Reges,*
*Hoc Procerum in punctis res quasi parta fuit.*

## Poloniæ Regnum ab antiquorum Sarmatiâ differens.

*QValis mentita est Rhiphæos Græcia montes,*
*Torpere Istuleos sub nive finxit agros.*
*Huc si Nasonem Romana remitteret aula,*
*Diceret Augustum desipuisse suum.*
*Heic Geticum nihil est: & quamvis multa repugnent,*
*Sub Gothico Boreâ Naso Getesque fuit.*

## Ad Augustiss. Regem Vladislaum IV.

*VIrtutum cumulus Te, Vladislaë, coronat.*
*Nil sine consilio, nil facis ante preces.*
*Excelsam consors habitat clementia mentem:*
*Cui, quoties opus est, Martius ardor inest.*
*Pulcra quidem laus est, quam Te meruisse fatemur.*
*Pulcrior est, hostis quæ datur ore Tui.*

## De Tartaris Pontoque Euxino.

*QVid venit Euxinis Scythicus vastator ab undis,*
*Atque humana fero corpora more trahit?*

*Axenos*

*Axenos unda fuit: reddantur nomina rebus.*
*Barbara si Pontum natio rursus habet.*

## Liberale Polonorum, econtra Moscovitarum servile ingenium.

*NUlla fides sectæ cœli decreta professæ.*
*Non claudunt in se sidera picta deos.*
*Excitat armisonos libertas una Polonos.*
*Insanè patitur Moschus herile jugum.*
*Hic gelidas olim concessit & ille sub Arctos.*
*Imperij distant limite, plus animis.*

## Iocus de Moscovitis.

*OMnia nosse suos credit Moscovia Reges.*
*Persvasum hoc vulgo principibusq; viris.*
*Fortè requirenti loculos hæc dixerat alter:*
*Moschorum Magno res ea nota Duci est.*
*At qui perdiderat, quamvis sciat omnia, non me*
*Mittet ad amissas Dux meus, inquit, opes.*

## Cùm Scheina Moscovitici exercitus Imperator castris inclusus à Polonis arctè obsideretur.

*SCheina, quid & ventos & inanes respicis auras?*
*Quid glaciem & fontes in Tua vota vocas?*
*Clauderis ingenti non in Tua præmia vallo:*
*Frigore quem spreto Sarmata miles obit.*
*Nec dIs nec cœlo Tuus hostis, Scheina, repugnat,*
*Numina sed caussæ novit adesse suæ.*

## Ad Vladisl. R. cùm Moschis victis adeoque ad humaniorem cultum perductis in Regnum rediret.

IAgelloniade, jam Te Tyrinthius heros
*Thebarumque faber creditur esse minor.*
*Pugnarint monstris, cautesq́ animaverit alter:*
*Sub Iove non duro nec rigor iste fuit.*
*E Moscho & Scythiæ est domitis Tua gloria monstris:*
*Climate quo mundi plus feritatis habent.*

## In Germanos Scheinæ militiam sequutos.

ET nondum insanas mittes Alemania voces?
*Sæpè facit miles non bona verba Tuus.*
*Sæpè per hoc fallens, quod maxima Numina jurant,*
*Venit & in Moschi perfida castra ducis.*
*Præmia quæ tulerit, de Moscho palma fatetur.*
*Infami steterat non procul ille jugo.*

## Moscovia nunc pervia.

CLausa fuit quondam Moscovia. Non tulit illud
*Sarmata qui domuit. Nunc habet illa vias.*

## Bella cum Moscovitis difficillima.

MOschiaco tendit quoties sub Sole Polonus,
*Ardua bella parat, nil mediocre movet.*
*Roma graves habuit, similes non ivit in hostes.*
*Heic pugnat populus, ventus, & ipse locus.*

## In Moschos.

MArtem & Vulcanum Moscovia sæpe locuta est:
*Et satis in palmam credidit esse minas.*
*Hi dI Lechigenæ steterunt à parte Poloni.*
*Disce lacessitos, Mosche, timere deos.*

De iis-

## De iisdem.

*Fecit idem Moschus, quod cretus Hamilcare fecit.*
*Cùm voluêre, datam fregit uterque fidem.*
*Perdidit hic patriam, periit Seviria Moscho:*
*Fugit & hic hostem, fugit & ille suum.*
*Tam meritis fas est à vindice Numine pœnis*
*Vrgeri, quotquot fœdera rupta volunt.*

## Vladislaus IV. Moscoviæ domitor.

*Finibus è Moschis patrios remeare Penates*
*Dicitur, & niveis ire Polonus equis.*
*Altera Sarmaticas cumulavit adorea laurus,*
*Vltima Rhiphæi quas coluêre poli.*
*Pervicit, victæ potuit qui dicere genti:*
*Pone Tuas Aquilas, & mihi flecte genu.*

## De eodem.

*Cedat Sarmaticis laurus Romana triumfis.*
*Ausonio Eoi succubuêre duces.*
*Dixerit his veniens jam se vicisse videndo:*
*At non de Boreâ tam citò palma data est.*
*Stet de fœmineo sua Romæ gloria mundo:*
*Qualis de Boreâ, solâ Polone Tua est.*

## Ad Vistulam fluvium, cùm alter alveorum ejusdem coërceretur, quò justâ aquarum mole derivatâ etiam alter navigabilis redderetur.

*Vistula cornigero qui ditas amne Borussos,*
*Sive freto Balthes sive receptus Habo;*
*Quid Tua non æquo labuntur flumina cursu?*
*Hæc ripam exsuperant, pars habet illa vadum.*

*Qui fontem utiliter dispescant urbibus, adsunt:*
*Ducereq; invitas machina tentat aquas.*
*Iam vitreis, patriæ fluviorum rector, in undis*
*Et parat & faciet vim Tibi nostra manus.*
*At non infames Tibi sic ponentur habenæ:*
*Quærimus has ratibus, quas tenuêre, vias.*

## Cùm diversi populi à Turcâ coacti adversus Polonos armarentur.

*SOllicitat Libycas Amurates Turca cohortes:*
*Evocat & Syrias Marmaricasque manus.*
*Ingenio veniunt & Car & Græcus eodem,*
*Armaque pro domino gestat uterq; suo.*
*Ridet in hoc motu servilia corda Polonus,*
*Spesque suas animo liberiore fovet.*

## Variæ sub Turcico Imperio gentes à Polonis in bello concisæ.

*NIl mirum, antiquas Cilicem dediscere voces,*
*Aut Pharias gentes non sua verba loqui.*
*Confundunt populos gesturi prælia Thraces.*
*Miles in hæc Geticus Niliacusque venit.*
*Sarmata cùm patriis Thracas depelleret oris,*
*Heic Macedo, heic Lydus, ponè jacebat Arabs.*

## Lapporum copiæ in Borussiam è Sveciâ metu belli missæ.

*ACre gelu patitur Lappus, quem Svecia mittit.*
*Si qua fides ducibus, res probat illa virum.*
*At qui nunc Scythiam nunc Dacica rura Polonus*
*Pervolat, ardores fert rigidumque polum.*
*Vincere & hic didicit, meditatur vincere Lappus.*
*Quas de se faciat spes hic & ille, liquet.*

## Ad Vladislaum Regem.

TErrarum satis est, Tibi quod famuletur ad Austros.
Inclute Sarmatiæ Rex, Tua signa refer.
Atque Euri subjecta plagis Te natio quævis
Suspicit, & pacem sumit ab ore Tuo.
Nunc Borean specta: nunc spes, quas fovimus, imple:
Et res sit nutu salva Borussa Tuo.

## Poloni finibus suis contenti.

HEbrus & Odrysii stupuerunt Regna Tyranni,
Sarmata cum Dacis bella cieret agris.
Ne sceptro adjiceret vacuum cultoribus Hæmum,
Orabat pacem barbarus, hæcque data est.
Neglìgit immensum sine defensoribus Orbem
Sarmata: rem Regni credit, habere viros.

## Ad Vladislaum IV. Pol. Reg. induciis cum Sveco sexennalibus expirantibus.

ÆMathios repetit Mahometi factio campos:
Deposuit nondum Moschica turba metum.
Hostis uterque Tuos, Rex Vladislae, triumfos
Condidit. Hoc actum est, ut velit æqua Gothus.
Bella quidem spirat, sumtisque ostentat in armis.
Sed loquitur vultu, dum sua vota premit.

## Svetici motus post sexennales inducias exitus.

NOn procul à patrio sulcabam littore pontum,
Nocturnasque dabat fulgida Luna vias.
Hoc Superûm, dixi, lumen loca lata frequentat.
Et non respiciat rura Borussa Deus?
Hæc freta classis arat, de quâ nova bella resurgent.
Allapsus sonus est auribus, esse minas.

Pacta

## Pacta cum Svecis.

*SVecia quod pepigit, bellum cùm poneret, hoc est;*
*Cederet ut nostræ de regionis agro.*
*Livonibus regnet, sed regnet pace sequestrâ.*
*Assensum non est, ut putet esse suos.*
*Ipsa sibi regnet, sed parvo tempore: non est*
*Assensum, ut juris se putet esse sui.*

## Poloniæ gentisque encomium.

*VIncit opes alias Lechei gloria ruris.*
*Sarmatico cedunt omnia Regna solo.*
*Vni Lechigenæ, quod paucis copia præstat,*
*Divitiis fundi non periêre sui.*
*Nemo pares retulit Scythicâ de gente triumfos.*
*Quiq; ducum caneret facta, Polonus erat.*

## Ad Vladislaum Regem.

*VLadislae, Tibi gignunt Tua Regna Poëtas.*
*Te Lyricis celebrant corda Polona modis.*
*Queis Si Roma suos ausit committere Flaccos,*
*Sarmatiæ palmam maxima Roma dabit.*
*Ipse brevi meditor sed clàm Te dicere versu.*
*Forsitan invenient & mea texta locum.*

## Magnifico & Generoso Dn. Christophoro Lode, Succamerario Derpatensi, Capitaneo Golubensi, &c. cùm Pactorum subscriptionem S. R. Majestatis manu factam Svecorum Proceribus Elbingam non sine civium gratulatione adferret.

*SAlve hospes, nostræ felix caducifer urbi:*
*Cujus Rex nobis incipit ore loqui.*

*Tu vir*

*Tu Ver ingenuum, placidas Tu reddis olivas:*
*Ad sua Tu Borean claustra redire jubes.*
*Et dubites Lode, quem Rex tamta in munia misit,*
*An Tua sit civi functio grata meo;*
*Quòd Tibi nec plausum dedit ille, nec obvia venit*
*Turba, nec implevit longa caterva viam?*
*Nescivit populus jam Te succedere portis.*
*Iam medium intrabas plebe rogante forum.*
*Tunc siluit toto vocalis machina muro:*
*Indicio quali civicus ordo coit.*
*Hæc quoque pars meriti delata fuisset honoris,*
*Si Gothus ad patrios hinc remeasset agros.*
*Condit adhuc solus nobis ea fulmina Svecus,*
*Præcipitatque suas Te veniente moras.*
*Quàm bene! Cùm dicet Svecos Elbinga remotos,*
*Ducet ab auspiciis tempora prima Tuis.*

## Ad optatissimos Quatuorviros,

Illustrissimum Dominum Dn. Casparum Comitem de Doenhoff, Palatinum Siradiensem, Vieluniensem, Boleslaviensem, Laiscensem, Radomiensem &c. Capitaneum,

Illustrem & Magnificum Dominum Iohannem Viesolowsky, Castellanum Elbingensem,

Illustr. & Magnif. Remigium de Otok Zalesky, Referendarium Regni,

Magnificum & Generosum Dominum Iohannem Zawacky, Svecensem &c. Capitaneum, Elbingam missos, ut Civitatem S R. Majestati jurejurando obstringerent.

Corda virûm quatuor populo carissima nostro,
Discite de rebus gaudia nostra suis.
Huc per vicinos cùm vos via duceret agros,
Ivit ab his ultro Sveca caterva focis.
Condidit adventu Gothus arma nocentia vestro,
Hic illi nostrâ summus in urbe dies.
Reddita libertas, & jura colentia pacem,
Et fera dant priscis moribus ausa locum.
Infirmis iterum cingentur sepibus horti,
Et defensa suo limite messis erit.
Sint procul hinc animi, quos unda Deusq; diremit,
Et quorum caussam nemo Borussus amat.

## Cùm Regiæ Majestati Poloniæ Elbingenses sacramento dicturi essent.

Maxime Rex, sub quo Boreas se claudit avitis
Finibus, & nostro littore Svecus abit.
Exuimus mores & quæ vix nostra fuerunt
Vota, quibus Gothicos juvit adire deos.
Mente Tui fuimus: nunc quod licet ore fateri,
In Te spes nostras dicimus esse sitas.

## De tempestate ejus diei, quo Civitas Elbingensium in fidem recepta est.

Manè recens orto pluviæ cecidêre frequentes,
Cessarunt, Regi cùm data nostra fides.
Esse animum nobis sine noxâ & crimine, cœlum,
Et quæ sub cœlo sunt elementa docent.

## De Glessariæ sive Pillaviensi portu.

Caussa mali tanti, quo cara Borussia flagrat
(Rem bene de caussis discite) portus erat.

Cingite

*Cingite littoreas, quà se via pandit, arenas*
*Vectibus & muris intrepidisq; viris.*
*Hoc facere, ô cives, quàm tot tolerare labores*
*Præstat. Ab hoc pendet nostra labore salus.*

## Cùm de Vladislai Regis futuris nuptiis rumor dissiparetur.

*PLebs ignara tace. Coeunt duce Numine Regum*
*Fœdera: nec nubunt dI sine mente deûm.*

## Ad cives suos, cùm Poloni sub exitum anni M. DC. XXXV. Elbingam ingrederentur, Sveci verò eâ egrederentur.

*QVis pavor, ô cives, vestras dum Sarmata portas*
*Intrat, & in portum Svecus ab urbe ruit?*
*Exeat hic rigidis numquam rediturus in armis:*
*Succedat, nostri quem coluêre patres.*
*Ne Tibi finge truces Gothico de milite vultus,*
*Antiquâ durant Lechica Regna fide.*

## Iterum de portu Pillaviensi.

*SVecicus hinc miles gelidas adnavigat Arctos,*
*Liberaq; ex illo Prussia mole suâ est.*
*Ne Gothicis iterum succumbat patria cœptis,*
*Non cuivis faciles Pilla det arcta vias.*
*Huc vestras cum merce Gothi subducite naves,*
*Littore si nostro classica vestra tacent.*

## Ad Borussiæ incolas.

*ET vestras reparate domos & templa deorum:*
*Ducat & ad summum cochlea longa tholum.*

Nitantur solidis laquearia picta columnis,
Ac patulas monstret clara fenestra vias,
Tardaque nocturnas defendat janua fraudes,
Oppositâq; cubent fœmina virq; serâ.
Hoc satis in pace est: nil roboris addite duri,
Nec duplices vectes horrisonosq; canes.
Ære suo vestras hilaret Campania turres,
Perque sacras ædes organa læta sonent.
Hæc quoque funestæ seu corrupêre sub armis,
Sive loco penitus mota tulêre manus.
Vis manifesta nihil stabilitis legibus audet.
Arma jacent: curtas Mars habet ipse manus.

## Vladislai Regis pietas erga hostem.

MIgravit ventosque suos & frigora passus
Et colluctatus non bene Svecus aquis.
Pars scopulo illisa est: nocuit jactatio multis;
Et Gothus in nostris languidus hæsit agris.
Discite Sarmatici pietatem Regis in hostem.
Iussit ali ac Medicas hunc relevare manus.

## Cereris ad Iovem preces.

SPicea cùm cœlo vidisset mater ab alto,
Prussica Svecanas arva tenere manus:
Diversis parent Cerealia Regna patronis:
Hæc Gothus, illa meus rura Polonus habet.
Sic ait, atq; Iovem pòst est affata parentem:
Sit Regnum unius, da pater. Ille dedit.

## Svecanæ militiæ fortuna.

VEnistis Sveci jucundæ tempore messis.
Tunc vobis Boreas æquus & unda fuit.

Incu-

*Incubuit rigido tempestas horrida ponto,*
*Cùm jussi patrios estis abire Lares.*
*Æquoreis multi vitam posuistis in undis.*
*Seu bene res cessit seu malè, sortis erat.*

## Belli furor.

*QVisquis in hoc populo depastos igne Penates,*
*Vstum instrumentum per fera bella, doles;*
*Non adeo rerum credas elementa nec ipsum,*
*Qui ferit ex alto, velle nocere Iovem.*
*In tonitru modus est & misso fulmine. Torsit*
*Sæpius invitas impia turba faces.*

## De eodem.

*DVmmodo, summe parens, nostris Mars exulet oris,*
*Cuncta pati certum est. Mitior ira Tua est.*
*Dummodo Mars abeat, nos durâ grandine & imbri*
*Sive urge ventis. Hæc erit ira patris.*

## Ad cives suos, cùm R. VL. Elbingæ portis succederet.

*PAlladis est habitus, quo se Rex maximus infert,*
*Timpora fœcundus Regia termes obit.*
*In promptu est, civis, de quo Tua gaudia sumas.*
*Quid velit hac facie pax data, deinde puta.*
*Rem cumulare juvet. Pars est mens optima nostri.*
*Hanc colere inprimis tàm bona diva jubet.*

## Ad eosdem.

*MErgite vicino, mea gens, immergite ponto,*
*Si quid in his Gothicus calo reliquit agris.*

*Arma, quibus nocuit, non sunt in vomeris usum,*
*Antè fides fuerat, sed negat esse faber,*
*Et quorsum durent nostri monimenta doloris?*
*Et frangi hoc ferro rus geniale nefas.*

## In Martem.

NOn bene complexu Veneris requiescere Martem,
*Miles Hyperboreus Teutonicusque docent.*
*Quicquid agris Venerum est, & quicquid in urbe venustum,*
*Calcat & in populo Martia turba suo.*
*Tale genus, Superi, vestris depellite templis.*
*In bello bellum Mars sinit esse nihil.*

## Poëtæ quâ re se maximè commendent.

QVid sit, quo placeat Poëta, dicam,
*Quod mater pueris, quod huic maritus,*
*Quod caro juveni puella narrat,*
*Quod servus domini refert ad aures,*
*Quod tractant posito mero sodales,*
*Quod jactat streperi corona vulgi,*
*Quod Regi tribuunt Patres merenti,*
*Hoc scito loquitur Poëta versu.*

## Ad Aug. Reg. Vladisl.

MAxime Rex, gelidi ponunt cui flabra Triones,
*Cûi servit placidi mollior aura noti,*
*Quòd meus absq; metu Te gestit adire libellus;*
*Caussa est, quod vultu Te putat esse Tuo.*
*Nam qualem Scythico nuper sub Sole gerebas,*
*Induerant hostes. Non erat ille Tuus.*

In stu-

## In studia multitudinis.

*DUm licet, ista queror: pulcras quod negligit artes*
*Maxima pars hominum; pars bona potat, edit;*
*Rebus & ingenio pauci prodesse laborant;*
*Et jacet in turbâ publica caussa suâ.*
*Regibus & patriæ pereatis inutile vulgus.*
*Plus verrucosæ functio præstat anûs.*

## Ad Lectorem.

*ARte meâ verbisque meis, quodque illa sequuntur*
*Ingenio Reges liberiore colo.*
*Sic placui semper: neque enim qui talia curant,*
*Conatus Superi destituêre meos.*
*Lectori gravis est, nullumque meretur amorem,*
*Qui facit ad magnos verba coacta deos.*

F I N I S.

---

*Prussiæ Poëtarum facilè Principi,*

Dn. FRIDERICO ZAMELIO &c:
Patrono reverenter habendo.

I.

CAntandum canerem; sed TE cantare, Poëtæ est,
Mincias aureolâ quem dedit Andis aquâ.

Et

Et dum TE, Phœbo, tùm cedri digna canendo,
Ipſe canis, canier polcrius anne potes?
Næ Clarius, Clarij & quem cantant Numina Vatis,
A nullo poterit clarius ille cani.

## II.

### *Ad Pruſſum.*

QUis tibi nunc ſolidi ſit *vivida palma* Poëtæ,
Si me, Pruſſe, rogas? provoco *Zamelium*.
Fonte Caballino plenè Hic ſua proluit ora.
Ac in Gorgoneo ſomnia monte capit.
Hinc fluitat, quicquid loquitur, ſpirante loquatur
Phœbo: Metra *Viri* perlege, doctus eris.

*obſervantiæ & amoris*

ergò

*deproper.*

Chriſtophorus Altus, Culmbacenſis Franco.